

5109 Romani avanti la casa de' Cati, fù levato già dal Dugnone di Cortenova CAELEST.; alla Grafignana in casa Agazzi MAZZOL. Nunc Bergomi in museo.

C · SEX · TILIVS · C · L  
 SEC · VNDVS · SIB  
 ET · C · SEX · TILIO · C · L  
 SODALI · PATRONO  
 5 ET · C · SEX · TILIO · C · F · MAX · M · C  
 PATRONI · F · ET · LAR · TIAE  
 L · F · Q · VARTAE · VXOR  
 PATRONI

Contuli. Caelestinus 1, 63 (inde male Mur. 1559, 7); Mazzolenus ms. n. 25; Maironi 1, 49; inscr. Athenaei 1856 n. 9.

5110 Calepii in ecclesia S. Stephani CAEL. Perit ROTAE.

Q · Q · S  
 N · / · R · P · XLV

Caelestinus 1, 32.  
 2 . . . . .NER traditur.

5111 Ghisalbae rep. NOV. VEN. et ROTA. Nunc Bergomi in museo.

C (ET  
 PB · AN · NVS  
 D · S · V · B · D · III  
 NOB · PC · BA · sili  
 IVN · VC · CSL · AN  
 III · D · I · C · T · I · O · N · E

Descripti. *Novelle della rep. lett. Venetiis* 1751 p. 24. 112 (inde Zaccaria *stor. lett.* 2, 661 et ex hoc Donat. 1, 203) male; Rota ms.; Maironi 2, 119; inscr. Athenaei 1856 n. 24.

Ephemeridis Venetae et Rotae exempla subieci.

*Eph. Veneta:*

HIC REQUIESCIT IN PACE  
 T . . . . .  
 VIXIT ANN . . . . .  
 DEPOSITVS SVB DIE QVARTO IDVS  
 NOVEMBRIS POST CONSVLATVM  
 BASILII IVNIORIS VIRI CLARISS ·  
 CONSVLIS ANNO XXVI PRIMA  
 INDICTIONE

*Rota*

CET  
 P · B · TANV  
 D · SVB · DIVI  
 NOB · PC · BAS  
 IVN · VC · C · SL · AN  
 XXVI · P · INDICTIONE

## LVII. BERGOMVM (Bergamo). Tribu Voturia.

I. Cyriacus cum Bergomum non videatur adisse, Bergomatia epigrammata nulla leguntur apud FELICIANUM et LILIUM, nisi quod hic unum proponit aperte confictum. Genuina duo habet MARCANOVA, quae adsunt iam in libro Bernensi, et inde venerunt ad FERRARINUM (ubi absunt a Traiectino apparentque primum in libro Parisino inter additamenta) REDIANUM IUCUNDUM SANUTUM. Adiecerunt his Iucundus unum, Sanutus aliquot aliunde accepta, Ferrarinus autem in recensione tertia, quae est libri Regiensis, octo non indiligerter excepta. Etiam CODEX SEMINARIJ PATAVINI n. 175, qui pendet maxime ex Iucundo, Bergomatia quaedam adiecit non ex Iucundo desumpta.

II. ZANCHII duo Paulus pater et filius eius Iohannes Chrysostomus († 1566; cf. Tiraboschi 7, 2, 249) primi sunt, qui in vetustos titulos Bergomates diligenter inquisierint. Et Pauli quidem manu scriptus superest codex hodie Vaticanus 5243 descriptus a. 1512 ex Ferrarini codice Traiectino (in quo corpore supra monui Bergomatia epigrammata nulla legi) adiecta in fine f. 128' adnotatione hac: 'Supra notata omnia epigrammata exscripsi ego Paulus Zanchus iuris doctor Bergomas ex volumine quodam Thomae de la Porta ecclesiae Novariensis praepositi, dum ibi praeturam et commissariatum agerem anno salutis MDXII, additurus alia quaedam non mediocri diligentia apud nos exquisita, ne nos etiam maiorum nostrorum exemplo in patria semper peregrinari videremur, sed imprimis ne urbis nostrae antiquissimae gloria deleteretur'. Sequuntur epigrammata Bergomatia sex f. 129. 130. Eidem Paulo Zanchio videtur tribuenda esse sylloge titulorum Bergomatium XXVII in fasciculo foliorum sex (cura Finazzii hodie inserto in volumen quoddam miscellaneum bibliothecae capituli Bergomatis) sic inscripto: 'Anti-qui . . . . . Ex Clariss<sup>o</sup> I. C. d . . . . . Veronae die 'XXII Septembris MDXVII', quamquam auctoris nomen perit charta lacera. Hoc constat ipsa sylloge, cuius in illo libello apographum tenemus, usum esse Iohannem Chrysostomum Zanchium Pauli filium canonicum ordinis divi Augustini, qui in dialogis de origine Orobiorum seu Cenomanorum ad Petrum Bembum editis Venetiis a. 1531 (8. ff. 77) f. 68 unum ex colloquentibus M. Mauritium Annaeum inducit inscriptiones oppidi agrisque Bergomatis recitantem 'ex libello haud contemnendae vetustatis, quo omnia ferme non modo nostrae urbis, sed exterarum quoque regionum ac civitatum epigrammata pervetustis marmoribus incisa breviter et per diligentem collecta sunt'. Scilicet tribus his libris inter se collatis apparuit Vaticani epigrammata plane similiter redire et in codice Bergomate et in editione, codicem autem Bergomatem et editionem in summa re non differre, ut saepe etiam in mendis, interdum vel in falsa versuum distributione consentiant, in lectione codicem non semper qui-

dem (neque enim autographum superest), plerumque tamen editioni praestare, ad numerum vero quod attinet paucos titulos in codicem relatos ab editione abesse casu omnino, aliquot in editione proferri, qui a codice absint, post eum perscriptum opinor patefactos. Itaque satis constat in hisce libris tenere nos collectanea Pauli Zanchii a filio Iohanne Chrysostomo et aucta et edita, nec dubitandum est ipsum illum epigrammatum librum, qui proferri iubetur ex bibliotheca, fuisse Ferrarini apographum a Paulo Zanchio factum, cui consentaneum est fasciculum olim insertum fuisse titulos Bergomates omnes complexum. Ipsa sylloge diligentissimum et doctissimum auctorem prae se fert, qui versuum divisionem plerumque retineat, nexus litterarum ipsosque accentus accurate imitetur, non oppidum solum, sed totam provinciam titulorum causa peragravit. — ALCIATUS Bergomatia in syllogen Mediolanensem vel recepta vel ad eam memorata fieri potest, ut ex ipsis marmoribus traxerit; magis tamen crediderim copiam ei factam esse collectaneorum Pauli Zanchii. Hoc certum est non hausisse eum ex edito libro filii cum per temporum rationes (neque enim Bergomatia illa in additamentis tantum occurrunt, sed in ipso corpore praefationem habente scriptam a. 1508) tum quod etiam ea novit, quae inedita manserunt (n. 5163). — Certius est FRANCISCUM BELLAFINUM pauca quae posuit in libro 'de origine et temporibus urbis Bergomi' (Venetiis 1532. 8. ff. 42 non num.) petivisse ex collectaneis Zanchianis. Zanchius enim filius Bellafinum passim citat (f. 66. 72) eumque monumentorum Bergomatium praedicatorem et expositorem futurum esse profitetur, ut videatur non tantum commentarium illum legisse antequam ederetur, sed etiam alia Bellafini de titulis iis scripta, quae non prodierunt. Quam ob rem consentaneum est iisdem collectaneis utrumque usum esse, idque quae habemus a Bellafino confirmant. — APIANUS (1534) quae habet Bergomatia p. 89—96 repetivit ex Zanchio cum ipsis typhetarum mendis; quod item videtur pervenire ad pauca ea, quae ex Bergamo habet CHOLERUS f. 45', certo pervenit ad Bergomatia codici SIEDERI Mutinensi VI. F. 28 adscripta a manu secunda. — Aliae Io. Chr. Zanchii schedae continentes inscriptiones cathedralis SS. Alexandri aetatis christianae, quae commemorantur apud priores, teste Finazzio (*delle lapidi Bergamasche* p. 8) hodie desiderantur.

II. LIGORIUM praeter edita eaque quae ipse finxit titulum unum Bergomatem antea non editum n. 5112 habuisse non praetereundum est.

IV. GRUTERUS praeter edita titulum unum eo tempore ineditum n. 5116 accepit a Sculteto.

V. CAELESTINUS sacerdos Capucinus in *historia quadripartita di Bergamo et suo territorio nato gentile et rinato cristiano* (Bergomi et Brixiae 4.